

mixtum, non consumitur sed aduritur. vnde nigrities. Quod autem perspicui in animalibus inquit, id in ceruicibus veterinorum patet. nam ex iugorum attritu, generatur callus & pili fiunt rari, quoniam pori occluduntur, vt quidam quasi terrestres meatus conspiciantur. Cæterum quinto de Generatione animalium ait Aristoteles, vt igitur cutes per affectum albe differunt ab his quæ tales natura sunt: sic pili inter se differunt, qui morbo, aut ætate quique natura albuerint. ob causam nimirum aliam atque aliam. hi enim à calore naturali, illi ab alieno albi efficiuntur. albedinem tamen omnibus præbet aër vaporosius inclusus. Igitur calor siue naturalis, in iis qui fiunt natura: siue aduentitius, in iis quæ fiunt ab exterioribus, causa est efficiens alboris. at materialis est aër vaporosus & spiritus inclusus iis scilicet in quibus includi solet. & Ephesius reddit rationem, quia natura sua albus & calidus est. aër enim pellucens albedinem gignit, quomodo spumam quoque effici certum est. Ex prædictis item soluas problema quoddam, cur animalia quæ unicolora non sunt, ventre plenius albent? Causa efficiens est, calor, qui eo in loco abundat. & aliud cur alba dulcia sunt & ἡλικρεωτέρα ac gratiora? ob eandem scilicet causam. nam concoctione dulcia fiunt. concoctio autem fit à calore. Sed obiicias, si alba sunt dulcia ob concoctionē, quare cinis excoctus est amarus, & non dulcis? Dicunt quidam, quòd quæ à calore naturali concoquuntur, dulcia sunt: at cinis à calore externo decoquitur. Quòd autem quæ ab extraneo calido concoquuntur amarescunt, argumento est mel. quod dulce quidem est, attamen ex decoctione amarorem concipit: exhalante videlicet humore qui dulcedinem faciebat. Verùm hæc ratio non fatis